

IN FVNERE
SERENISSIMAE IOANNAE AVSTRIACAE,
SERENISSIMI FRANCISCI MEDICIS,
Magni Ducis Etruriæ vxoris.

LEONARDI GINII CORTONENSIS
laudatio ad funebrem concionem Senis IX. Cal. May.

CIↃ IↃ LXXVIII.





SENIS Apud Lucam Bonettum. 1578.



ANTONIO SERVIDIO
SERENISS. FRANCISCI MEDICIS
Magni Etruriæ Ducis a secretis,
Equitiq; Diui Stephani,
Viro optimo, & nobilissimo,
ac de se optime merito.

LEONARDUS GINIUS CORTONENSIS. S.



Rationem meam in Serenissimæ Ducis nostræ funere Senis facto ad te ornatissime, atq; optime Seruidi mittere libuit; quæ se admoneat; beneficia, quæ abs te in me nec pauca, nec leuia profecta sunt, non mihi ex animo excidisse. Tu, & quòd benigne dantis est proprium; & quòd multis quotidie multa dare cõsueuisti; facile forte oblitus es; mihi autem immemori esse non licet; nisi etiam ingratus haberi velim; præsertim quum fratrem tuũ Volaterranorum Antistitem maxime Reuerendũ beneficiorum in me collatorum sciam testem esse locupletissimum. At gratiam adhuc nullam retuli. Fortunam licet accusare. Volũtatis vero, animiq; mei hoc, qualecunq; sit, testimonium esse velim.

Huc accedit, quod si orationem hanc ad eum mittere statuissem, qui ex Serenissimæ Ducis nostræ morte grauius angeretur; haud scio, an, non modo ex alijs; sed ne ex omni quidem Serenis. Ducis nostri familia deligere alium licuisset, cui Serenissimi Ducis damna, & incommoda plus molestiæ, plus mœroris, plus ægritudinis afferrent. Quamobrem vel eo saltem nomine non ingratam tibi omnino eã fore cõfido. Quod si fiat, vt ab alijs negocijs libero eam tibi legere aliquando contingat; sic tibi persuadeas, nihil me magis optare, quàm vt animi tibi mei planius, & apertius ostendendi facultas aliqua offeratur. Vale; & quam ab hominibus gratiam non exigis, pro tot tantisq; beneficijs tuis, quibus plurimos assidue afficis, atq; auges, Deum Opt. Max. cumulatissime tibi relaturum confide.

IN FVNERE SERENISS. IOANNAE AVSTRIACAE, Serenissimi Francisci Medicis, Magni Ducis Etruriæ vxoris

LEONARDI GINII CORTONENSIS

laudatio ad Funebrem concionem, Senis ix. Cal. May.



NITERE, enitere mæstissima vox; erumpe aliquando tandem. Vosq; lacrymæ, & singultus ne quæso vocis officium impedite; patiamini, vt quemadmodum vos immensi, iustissimiq; doloris signa datis, sic voci iustissimas dolendi causas liceat explicare. Quamuis enim, qui adsunt, omnes & lacrymas videant, & suspiria singultusq; exaudiant; mœroremq; nostrum contemplentur; eiusq; causas (atq; vtinam ignorarēt) cognitas maxime habeant; tamen & rei magnitudo, & communis omnium iactura, & officium nostrū omnino postulat; vt mœrorem, doloremq; nostrum nō solum lacrymis, sed luctu, eiulatu, vociferationibus testificemur. Tu quoq; nunc vere Dux & Regina, vere nunc Serenissima Ioanna, da, obsecro te, nobis hanc veniam; vt miseriam nostram, te non penitus inuita, lugeamus; ac tuarum virtutum memoria lugendo oblectemur. Video miserum hoc nostrum, acerbumq; præconiū iure tibi esse ingratum; video tibi iniuriam fieri; quam neq; nunc immortalem lacrymæ decent; neq; antea mortalem vanæ laudes delectarunt. Veram illa gloriam Senenses, veram virtutem, verum omnium seruatorem intuebatur; hunc ani-

mo, ac mente complectebatur semper; huic vni præcipue dedita erat, atq; addicta; hunc toto amoris ardore concupierat. Quo in præsentia quum fruatur; non sibi inaniter placet; non ficte lætatur; iubilat scilicet, req; vera triumphat; & ad nos conuersa crebro illud Christi seruat oris vsurpat; Si diligeretis me, vtiq; gauderetis. Vera quidem hæc sunt Auditores; nō tamen possunt mærentium nos voce prohibere. Fortioris est animi tantam siccis oculis aspicere iacturam. Non enim vnam aliquam mulierculam, sed Ioannam Austriacam Serenissimam Tusciæ Ducem amisimus; non solum nobilissimam, sed omnium, quæ sunt, aut fuerunt, lectissimam, prudentissimā, religiosissimam. Defleet hanc Danubius, ac in ea deflenda & Caroli patrui, & Ferdinandi patris, & Maximiliani fratris Augustissimorum Imperatorum renouat memoriā. Maiorem facit eius luctum, lacrymisq; suis adauget Rodulfus nepos Imperator semper Augustus. Deplorat hanc Arnus; qui post Serenissimi Cosmi obitum diu lugens, ac mærens, quū Serenissimi Philippi ortu maximā mæstitiæ partem abiecisset; nunc acerbissimo hoc funere cogitur in squallore, ac lacrymis iterum iacere. Quantus sit Arbiæ luctus non necesse est commemorare; omnes enim eius luctum præsentes videmus; et flentes, ac sordidati adiuuamus, & vel eò acerbiorem esse sentimus, quod raro admodum, ac breui iucundissimo Serenissimæ Ducis suæ aspectu frui miseræ licuit. Quot eam lacrymis pauperes prosequuntur, eius ope, atq; auxilio priuati? Sacras Virgines quanto opere angi, & cruciari necesse est? quibus tantum præsidium misero funestoq; fato ereptum est? Sacerdotes, & sacra templa quam maxime huius benignitatem, pietatem, sanctitatemq; desiderent; funesto ornatu, lugubriq;

voce

voce declarant. Matronę, nobilesq. mulieres non dolebunt? non ægre ferent? probitatis, honestatis, castitatis speculum tam densa, atraq. caligine obscuratũ? in quod intuentes optimis, sanctißimisq. moribus seq. ipsas, filiasq. suas informabant? Atqui non solum ad priuatos; sed nulla est natio, ad quam summus huius morte mæror non venerit. Luget Gallia; mæret Hispania; Germania cruciatur; angitur Italia; Tuscia omnis senio confecta est; seq. vere infelicem appellat; quæ huius interitu multo maxima splendoris sui parte, & altero quasi lumine est orbata. Squallent vrbes; oppida afflictantur; agri deniq. ipsi ex tam mansuetæ, tam beneficæ, tam salutaris, tam sanctæ Ducis desiderio non sine lacrymis & fletu laborant. Verum in tanto omnium squallore, & eiulatu, quãtum Sereniß. Dux, quantum mæstiß. Francisce, quantum esse dolorem, mærorem, angorem tuum credi par est? Maximum certe est animi tui robur; sed haud scio, an præ iacturæ magnitudine doloris magnitudini poßit obsistere. Amisisti coniugem nobilißimam, honestißimam, obsequentißimam; tuiq., quod tu omnium maxime intelligis, amantißimã; vt vix vllus consolationi relictus locus videatur. Quæ tamen omnia, quum & tuum, & communem omnium dolorem videantur augere; diligentius animaduersa, non mediocrem & tibi, & alijs afferre consolationem possunt. Tanto enim, ac penè mortifero vulnere accepto; in tanta tua, & communi Tuscorum omnium calamitate, præter insitam animo tuo virtutem, illud lacrymas, luctumq. sedare maxima ex parte potest; quod non est dubitandum, eò ipsam peruenisse; quò mentem, animumq. omnem intenderat; quò viam sibi assidue muniebat. Equidem videre mihi illam videor, summa

illa,

illa, & perpetua felicitate, quam semper ad amauit, fruentem; suspirijs, singultibusq. tuis aliquid commotam, huiusmodi te verbis alloquentē. Quid est charißime, atq. amantißime coniux, quod tantopere afflictaris? me ne luges? quæ ex obscurißimis istis tenebris educta luce fruor clarißima, & sempiterna? An solitudinem, sortemq. tuam deploras? Atqui habes matrimonij fructus; habes filium; habes hæredem; habes successorem. Depone, quæso, mœrorem, & luctum; sit tandem aliquis lugubrium lamentationū, lacrymarūq. finis. Acquiesce, obsecro te, Dei Opt. Max. voluntati, ac sententiæ; & quæ in me fuere mortalia, ne pluris facias, quàm me ipsam fecisse cognoueris. Et vere Senenses mortalia omnia Dux nostra Augustißima neglexit. Respicite eius actiones; in eius vitā, moresq. inquirite. In summa fortuna sūma humilitas; in summis opibus summa lenitas; in summis diuitijs summa frugalitas apparebit. Ex altera parte in summa frugalitate summus sumptus; in summo sumptu summa charitas; in summa charitate summa religio elucebit. Nihil deniq; in ea non religiosū, nihil nō sanctum, nihil non quauis muliebri virtute reperietis illustre. Nouerat ipsa sese nobilißima mulier; non ignorabat, quibus esset parentibus, quibus maioribus, quàm Illustri genere orta. Veruntamen (quod pleræq. omnes huiusmodi mulieres facere solent) nunquàm se extulit; nullum vnquàm fastus, aut superbiæ signum dedit; tota humilis, tota mitis, & mansueta. Quæ quum se & Caroli neptem, & Ferdinandi filiam esse sciret; & Duci nostro Serenis. Francisco Medici ex amplissimo genere in amplissimā familiam nupsisset; nunquàm maiores suos Reges, & Imperatores respexit; nunquàm ad Tusciæ imperium animum aduertit; sed tantum summo se

viro

viro nuptam existimauit: Atq. vt aqua vino admista vinum appellatur; Sic virum & vxorem vnum quidem corpus; imperium tamen, & autoritatem viri propriam esse censuit. Itaq. omni quasi imperio, & potestate sponte abdicans; rei domesticæ, ac potissimũ religioni se se dicauit. Hic laudabitur fortasse ab aliquibus virago aliqua, vel vorago potius; quales nõ paucas fuisse notum est; quæ nõ contentæ connubij se esse participes; & priuatarum curarũ, negociorumq. consortes; publicarum quoq. rerum consilijs interesse; & pacis ac belli negocia tractare voluerunt; quasi omne sibi imperium, potestatemq. non solum in subiectos, sed in viros etiam suos sibi assumpsissent. Valeant istiusmodi pestes, et portenta; & quouis conuicio, vel supplicio potius, quàm laudatione digna. Neq. tamen is sum, qui in claris, nobilibusq. mulieribus animi præstantiã, magnitudinemq. vituperẽ; sed eius vsum, nisi necessitas postulet, in eis nõ desidero. Laudent alij Callipateram; quæ virili habitu, & vestitu, magistrum se exercitationis simulans, filium ad Olympia certamina contra Eliensium legẽ deducere ausa est. Admirentur Cyniscam Archidami filiam, quæ prima equos aluisse, prima in Olympicis palmam tulisse dicitur. Vana hæc sapientibus videntur; & stultæ temeritatis potius, quàm magnitudinis animi indicia. Maximo in honore sint Semiramis, Elissa, Mania, Zanobia, aliæq. similes; hæ iustis & maximis efferantur laudibus; quæ prouincias, & regna post virorum obitum aut viriliter, recteq. administrãtes auxerunt; aut virtute sua sibi noua pepererunt. Hic animi cognoscitur altitudo; hoc est Fortunæ obsistere; hoc animi robur, virtutemq. ostẽdere. Neq. vero, etiã temporibus nostris defuerunt, quæ in prouincijs administrandis pari virtute se gesserint; quas quum laudare plurimas possem; vna erimus in præsentia contenti; quæ omnium nobis instar futura sit. Respiciamus,

quæso Mariam Austriacã Sereniss. Reginam, nostræ huius, quam miserabiliter deflemus, amitam. Hæc quàm prudenter, quàm iuste, quanta autoritate, maiestate, animi magnitudine Flandriam gubernauerit, vt nihil aliud dicamus, præsentia tẽpora declarant. At nostra hæc, quãuis, eodem semine procreata, non minori esset animi robore, & virtute; virum tamen prudentem nacta; nihil, quod virum deceret, viuo illo & præsente sibi tentandum esse censuit. Ut enim luna exorto, ac fulgente sole vix apparet; sic viuo, ac presente viro ab omnibus grauioribus negocijs debet vxor abstinere; liberanq. illi facultatem omnẽ, atq. imperiũ relinquere. Voluisset quidem Sereniss. Franciscus, non solum quod eam maximẽ diligeret; sed etiam quod summam in ea prudentiam videret; quemadmodum connubij, sic plurimorum negociorũ habere consortem. Illa vero, quum & & illius sapientiam, & vxoris optimæ, ac prudentissimæ quod esset munus intelligeret; vt sui ipsius imperiũ, sic grauiorum negociorum libenti animo curam viro concessit. Facinus animo regio, regnisq assueto vere dignum. Adhortabatur ipsam natura vnicuiq. innata imperandi cupiditas, vt se publicis negocijs admisceret. Regno fruere regia mulier, Regnis nata, & omniũ maxime ad regnandum apta. Pulchra res est, vtilis, atq. honesta. Atqui ad hæc non sine stomacho mulier fortissima. Facesse pernicies animorũ, pestisq. sæuissima, Pulchrum certe, atq, honestum est imperare; sed tibi. Quid enim prodesse cuiquàm potest, in cæteros omnes tenere imperiũ, si tibi tamen seruire cogatur? Sic inuicto animo dũ quæ mortalibus maxima videntur, tãquã caduca, & incerta contemnit; in summa, & certissima intendens, interea volens, ac si priuato alicui, nõ Amplissimo Duci esset collocata, ad ea, quæ humiliora vulgus existimat sese cõuertit. Quunq. nihil tam suũ esse videret; nihil tam sibi in vita gloriosum

riosum putaret, quàm si amantißimi coniugis amorē, quem in se maximum esse nouerat, iusto obsequio cōseruaret, vel (si quid addi posset) etiam augeret; assidue eius mores, diligenterq. contemplans, nihil æque studebat, quàm vt se, vitanq. suam ad eius regulā, normanq. institueret; & quæ illi viderētur, sibi quoq. probata esse omnino vellet. Hanc enim, si qua esse in hac vita felicitas potest, summā felicitatem reputabat; nempe consentientem, cōspirantemq. viri, & vxoris animū, ac voluntatem. Quin etiā, vt optimæ vxoris officio diligentisſime fungeretur; quumq. omnia, quæcūq. ageret in hac vita, vehiculum sibi quoddam ad felicisſimam fore statuisset; nullum voluit habere amicum, nisi quem viro suo animaduerteret esse charisſimum; quod ei perbelle, & ex sententia succesſit; nam eum ipsum, quem præcipue à primis vsq. annis adamauerat, à viro suo potisſimum coli intellexit. Quid est enim (quum etiam alios charos habeat) quod Serenisſ. Dux magis amet? magis obseruet? maiori pietate, quàm religionem, & Creatorem omniū, ac Seruatorem colat? Hunc igitur ex omnibus viri sui amicis delegit, cui studeret in primis esse amica. Itaq. ad priorem animi propensionem proxima deliberatio tantum attulit momenti, vt multo hunc, quàm virum ipsum (atq. in hoc gratum se ei facere videbat) maiori obseruātia prosequeretur. Qua in re id sibi vsu veniebat, quod misere amantibus accidere consueuit. Vt enim illi absentem, tāquàm præsentē alloquuntur; absentis imaginem intuentur; verbis, & cantilenis ei gratis libentisſimo animo vtuntur; & non solum ipsi canunt, sed alios etiam canentes maxima cum voluptate auscultant; eius nomen si cuiquàm ludibrio esse, & cōtumeliæ causa vsurpari audierint, vehemētius indignātur. Loca, in quibus frequenter esse consueuit, crebro visitant. Eius familiares, etiā humiliores complectuntur; omniq. studio fouēt, ac tuentur. Sic

Serenissima haec mulier, Dux, atq. Regina immensi amoris sui signa in dies certiora ostendebat. Quàm saepe voce, vultu, lacrymatione, oculis aut prae reuerentia in terram defixis, aut prae nimio affectu in eius simulachrum intẽtis, Amicum hunc suũ, & Dominum quasi praesentem alloquebatur? Quantis singultibus, quantoq. fletu eius amore indignã se profitebatur? Quanto cum gemitu, et maerore prostrata quasi ad pedes & veniam, & gratiae conciliationem postulabat? Nullus erat dies, quin pie, sancteq. diuinis precationibus & ipsa vteretur; & alijs vtentibus interesset. Hymnos enim, odas, sacraq. carmina in ore habebat assidue. Praeterea domi non scurras, non mimos, non saltatores, nõ alias eius generis sordes, sed sacerdotes habebat assiduos; qui certis, suisq. horis rem diuinam summa cum ceremonia, & religionẽ facerẽt. Maledicta in Deum, & execrationes quàm vehementer oderit, Edicta, quae, ipsa potissimum suadente, in eiusmodi pestes composita sunt; publiceq. & magna voce praeconis pronunciata, declarant. Porrò quàm frequenter Deo dicata templa visitaret, notius est, quàm vt cuiusquàm testimonio sit probandum. Haec enim a choreis, equestribus ludis, fabulis, talibusq. spectaculis, quibus Regiae mulieres ferme omnes capiuntur, toto animo, ac mente abhorrebat. Ac si quãdo vt, vel viro, vel affinitatis vinculo coniunctis mulieribus, vel ciuibus et populo gratificaretur, ijs interfuisset; corpore tantum praesens, animo loca illa perlustrabat, vbi sacra diuinaq. spectacula praeberi quotidie solent; quaeq. summus ille suus amicus frequentare cõsueuit. Ibi erat libenter; ea ornabat; ibi pietatis, religionis, charitatis certissima indicia constituebat. Quod, praeter vrbis Florentiae sacras aedes, Augustissimum templum ad mare Adriaticum, in quo sua sacratissimae Virginis Seruatoris nostri matris cella, ipsaq. sãctissima Virgo religiosissime colitur,

argu-

argumentis certißimis confirmat. Eò enim religionis ergo Serenißima Dux nostra profecta, munera attulit, religione, pietate, & amplitudine sua, nec non loci ipsius dignitate non indigna. Verũ enimuero quum, quoquo te vertas, eius amoris, atq. obseruantiæ in Deum vestigia cernas; eaq. nõ leuiter, sed altius impressa ad memoriam sempiternam; in eo tamen eius maxime splendor elucet; in eo excellentia, eiusq. altitudo animi præcipue apparet; quod pauperibus, egemsq. subleuãdis nullam neq. commodorum, neq. vtilitatum suarum vnquam habuit rationem. O immensam, veranq. animi magnitudinem, ac liberalitatem. Aliæ huius conditionis, & fortunæ mulieres student pecunias corrogare; hæc erogat. Aliæ luxum quærunt; hæc frugalitatem. Aliæ vestes præciosißimas parare student; hæc mũdum, ac simplicem quærit ornatum. Aliæ immẽsa, conuiuijsq. lautius splendidiusq. apparandis sumptus faciunt; hæc parcius viuit, vt largius dispenset. Aliæ mimos, & scurras alunt; hæc sacerdotes. Aliæ ridiculos, & ioculares homines habent in delitijs; hæc pauperes. Aliæ ludendo plurimum temporis consumunt; hæc diei noctisq. magnam partem sacris, & mathematicorum scriptis euoluendis, at multo maiorem Deo supplicans traducit. Quinimo tam auerso a ludis animo fuit, vt quum prohiberi omnino posse non videret; illud saltem curauerit edicendum, ne publice luderetur. Deniq. seruato dignitatis, amplitudinisq. suæ decoro nihil non egit contra fastum, luxum, superbiam, nihil non contra Regiarum mulierum deprauatam consuetudinem, atq. naturam; suoq. exemplo illas docuit, quæ in eiusmodi gradu collocatæ sunt, maiorem suorum, & præcipue pauperum, quàm sui ipsius habendam esse rationem. Quanuis enim in Regia maiestate cõstitutæ pluribus indigere videantur; non tamen debent superuacaneis, minimeq. vtilibus delectari.

Videtis Senenses quid, quãtumq. in muliere hac præstãtissima Duceq. nostra, ac Regina Serenissima amiserimus. Videtis eximiæ eius, excellentesq. virtutes, licet minima ex parte adumbratæ, quales, quantæq. sint. Quas omnes (generis nobilitatẽ, maiorum gesta, externaq. omnia, quæ vel nihil, vel parum omnino ad eam pertinent, consulto omittã) si, non dicam amplificare dicendo, sed percensere numerando velim; ante diei finis erit, quàm orationis finem inuenire possim. Itaq. nihil dicam in præsenti quanta fuerit, quanq. diligẽs eius cura in filijs, licet infantibus adhuc alẽdis; ancillisq. suis liberaliter, honeste, vereq. Christiane (liceat, dum de muliere maxime Christiana loquor, hoc verbo vti) vere, inquam Christiane instituendis. Has enim; & sororum, & filiarum potius; quàm ancillarum loco habuit semper; neq. ex praua, & inueterata consuetudine, in saltationibus, in ludis, in cantionibus habuit occupatas; sed pijs, diuinisq. precibus, & assiduis laboribus exercebat. Filios autem vtinam, quemadmodum in hac ætate non plus lacte, quàm optimis verbis, ac monitis inbuendos curabat; sic diutius, teq. potissimum Serenifs. Princeps erudire, ac sua per vestigia ducere licuisset. Sed quando funestum fatum, & mors prohibuit importuna Serenissimi patris tui iustitiam, prudentiam, religionem, atq. in omni genere virtutem imitabere, eumq. in tanto luctu non leui cõsolatione interea permulcebis. Neq. enim potest iucũdissimus filij aspectus patris animum, licet mœrore affectum nõ magna suauitate perfundere. Quanuis ille ipse, qui mœrorem leniet, aspectus, charissimæ vxoris desiderium, memorianq. renouabit. Etenim dum te ipsum aspiciet; materni corporis et animi imaginem videbitur intueri; atq. in sex. Id. Aprilis memoriam redibit. Quo illa die, quum ad Amicum, Dominum, Deumq. suum festinaret; mærentem virum conspicata, huiusmodi

modi ipsum oratione dicitur alloquuta. Semper enim eodem fuit animo forti, atq. infracto; Itaq. non lacrymis, & fletu, quasi huius vitæ dissidiũ ferre non posset, sed hilari lætoq. vultu, atq. animo etiam alacriori; Quæ mihi, inquit, acciderunt charissime coniux, sic, vt Deo visum est, facta sunt; neq. nos quæ ab eo fiunt, aut grauia existimare; aut grauiter ferre debemus. Etenim a summo bono nihil fieri non bonum potest. Libens ex hac vita, quasi è carcere liberata decedo; neq. tu grauius angi debes, quàm me videas commoueri. Unum hoc quod te oro extremũ, est; vt quæ mihi dum viuerem charissima esse intellexisti; benigne foueas, & complectaris. Non loquor de communibus liberis, quos vt tuos, & ex te genitos patrio amore, & charitate prosequaris necesse est; pauperes dico, pupillos, viduas, sacras virgines, sacros sacerdotes, sacra templa, sacram religionem. Scio hæc tibi cordi esse; cogor tamen quæ vehementer amaui, vehementius etiam commendare. Memento hominibus te imperare; quorũ quidem errare, Dei vero, cuius tu nutu imperas; quenq., quantum homini ni licet, imitari debes, parcere est proprium. Sit igitur Iustitia (quod facis) semper admista clementia. Commodis bonisq. vitæ, quæ tibi omnia à Deo data sunt, sic fruaris, tanquàm Deo ipsi accepta relaturus. Vale charissime coniux, & quoties communes liberos aspexeris, recordare, nihil mihi post Deum immortalem te vno, atq. ipsis gratius in vita fuisse, aut iucũdius. Sic igitur Senenses nobilissima mulier, & omnium, quas aut vidimus, aut audiuimus, aut legimus, honestissima, castissima, prudentissima; hoc, inquam, castitatis, ac pudicitiæ speculum; hoc comitatus, atq. humanitatis exemplum; hoc religionis, ac pietatis simulachrum; hoc pauperum, atq. egentium perfugium certissimum; hæc virtutum omnium species, & absolutissima imago, sic vita functa est; vt nemini

vider;

videri possit, quod de sacra illa et sãctissima Virgine Pratensi, cuius sanctitas non modo nostrorum linguis, sed summorum quoq. virorum scriptis celebratur, certissimis nuncijs vulgatum est. Ea enim rogata, vt pro Serenissimi Ducis salute vota faceret; renunciate, inquit, iam sibi in cœlo coronam parari. Ad te igitur orationem meam conuerto, quæ nunc vere felix, & beata, dum amicum tuum iam præsentem intueris; vere, perfecteq. intelligis; te, quæ homines admirantur, iure contempsisse, quæq. in Cœlo cum reliquis diuis æuo iam frueris sempiterno; Teq. supplex oro, atq. obsecro; vt ex istis locis, vbi cum summa tranquillitate, & ocio perpetua est felicitas, vitam nostram fluctuãtem, miseram, atq. innumeris calamitatibus erumnisq. oppressam respicias; & quemadmodum apud nos degens, semper es miserias nostras miserata; sic nunc amicum tuum Deum, ac Seruatorem omnium Christum Iesum preceris, atq. implores; vt rectam nobis mentẽ det; misericordiam tribuat; & prostremo, quam tibi impartitus est, gratiam suam, gloriamq. impertiat.

F I N I S.

Fr. Pomponius Trunchonus Senensis in dominio Senarum ViceInquis. licentiam concedit, vt hæc oratio imprimi possit.

